

Bericht
über
das Altstädtische Gymnasium
zu Königsberg in Pr.
von Ostern 1842 bis Ostern 1843.

Womit zur
öffentlichen Prüfung der Schüler aller Classen
am
10. April Vormittags von 8 Uhr und Nachmittags von 2½ Uhr an
und am
11. April Nachmittags von 2½ Uhr an
zugleich im Namen der Lehrer der Anstalt
ganz ergebenst einladet
der Director des Gymnasii
Johann Ernst Ellendt.

Voran geht eine Abhandlung von dem Director:
De praepositionis a cum nominibus urbium iunctae, apud Livium maxime, usu.

Königsberg, 1843.
Gedruckt bei E. J. Dalkowski.

Ordnung der Prüfung.

Montag den 10. April, Morgens von 8 Uhr ab.

Sexta.

1. Rechnen. Dr. Boettcher.
2. Deutsch. Der Director.

Quinta.

1. Religion. Dr. Legiehn.
2. Latein. Dr. Bender.

Quarta a.

1. Mathematik. Müttrich.
2. Geschichte und Geographie. Dr. Möller.

Quarta b.

1. Latein. Nitka.
2. Griechisch. Dr. Bülowius.

Montag den 10. April, Nachmittags von 2½ Uhr ab.

Tertia.

1. Mathematik. Müttrich.
2. Latein. Nitka.

Secunda.

1. Latein. Dr. Gryczewski.
2. Geschichte. Dr. Bender.

Dienstag den 11. April, Nachmittags von 2½ Uhr ab.

Prima.

1. Lateinischer Dichter. Der Director.
2. Mathematische Geographie. Müttrich.

Nach der Prüfung erfolgt die feierliche Entlassung der Abiturienten durch den Director.

Der Abiturient Herrlein und der Primaner Gropp werden sich in Reden, die sie selbst verfertigt, versuchen.

Schlussgesang, Hallelujah von Händel, unter Leitung des Cantors und Musikdirectors Sobolewski.

Der Anfang des Sommerhalbjahr's ist auf Montag den 24. April Morgens 7 Uhr festgesetzt. — Zur Prüfung der in das Gymnasium neu Eintretenden sind die Vormittagsstunden der Ferientage bestimmt.

Ellendt.

De praepositionis a cum nominibus urbium iunctae, apud Livium maxime, usu.

Notus est Ciceronis locus Epp. ad Att. VII, 3, 10: Venio ad Piraeea, in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus *Piraeea* scripserim, non *Piraeeum*, — sic enim omnes nostri locuti sunt, — quam quod *in* addiderim. Non enim hoc ut oppido praeposui, sed ut loco: et tamen Dionysius noster, qui est nobiscum, et Nicias Cous non rebatur oppidum esse Piraeea. Sed de eo videro. Nostrum quidem si est peccatum, in eo est, quod non ut de oppido locutus sum; sed ut de loco, secutusque sum, non dico Caecilium,

Mane ut ex portu in Piraeeum,

— malus enim auctor Latinitatis est, — sed Terentium, cuius fabellae propter elegantiam sermonis putabantur a Caio Laelio scribi,

Heri aliquot adolescentuli coimus in Piraeeum,

et idem,

Mercator hoc addebat, captam e Sunio.

Quod si δήμους oppida volumus esse, tam est oppidum Sunium, quam Piraeeus. Sed, quoniam Grammaticus es, si hoc mihi ζήτημα persolveris, magna me molestia liberaris.

Haec Cicero. Atticus quomodo ζήτημα illud Ciceronis persolverit, nescimus. Hoc autem videmus, iam antiquitus de usu praepositionum nominibus urbium et terrarum additarum inter viros doctos non satis constitisse. Ac verum ex parte videtur intellexisse Cicero, dicens, praepositionem *in* nomini Piraeei se praeposuisse, quod non ut de urbe, sed ut de loco locutus sit. Et quod hoc loco et hac occasione data de usu praepositionis *in* dixit, id quidem ad omnes praepositiones nominibus urbium praepositas nostro iure referamus. Nam cum non liceret modo, sed deberet dici *ex Africa redire*, *in Africam*, *in urbem transire*, *ex* sive *ab urbe proficisci*, *in Hispania esse*, quid erat, quod falsum haberetur, si quis dixisset: *e* sive *ab Roma redire*, *proficisci*, *discedere*, *in Oricum venire*, *redire in Karthaginem*, *in Roma esse*, et quae sunt eiusmodi similia? Sed forte fiebat h. e. usu eveniebat, ut, quod per se satis probum et communi hominum sensui aptum esset, ut in aliis

rebus grammaticis, ita in his dicendi formulis non omnia, nec ab omnibus scriptoribus pariter probarentur, ususque dicendi in diversas abiret partes [1]). Hoc si perpendissent Grammatici, et, id quod gravissimum est, in scriptoris cuiusque usum dicendi paullo accuratius inquisiissent, immunes erant futuri ab erroribus, quorum haud parvus numerus Grammaticas Latinas tanquam iure hereditario etiamnunc obtinet. Quod etsi pluribus exemplis demonstrare haud difficile sit, [2]) tamen, cum nec otium mihi datum sit, et scriptioni meae angustissimi sint fines constituti, hoc unum persequar, ut de praepositionis *a* cum nominibus urbium iunctae apud Livium usu disseram, non neglectis quae ex ceteris scriptoribus pedestribus aureae aetatis huc pertineant et ad illustrandum usum Livianum apta videantur. Hic usus enim latius patet, quam vulgo credunt, neque indignus est, qui maiori cum cura, quam adhuc factum est, illustretur.

Vetus est et commune praeceptum Grammaticorum, nomina urbium, ubi cum verbis quae motum ex sive ab aliquo loco indicant, coniungantur, in ablativo poni a scriptoribus Latinis, ita tamen, ut praepositionis *a* et perspicuitatis causa et ad augendam vim additae usus non plane sit exclusus neque a nativa Latinae linguae indole abhorrens. Handius quidem, cui in hac re maxima, si qua est, auctoritas tribuenda videtur, in Tursell. I, p. 10: „Antiquorum Grammaticorum, inquit, nonnulli totum usum (praepositionis *a*) reprehendebant. Sed sunt loca, in quibus non aliam causam reperias, quam perspicuitatem, aut orationis numerum, fortasse etiam n e g l i g e n t i a m. In aliis quidem intelligitur regio urbis, non una urbs (?), in aliis non ipsa urbs, sed cives vel civitas. Id autem certum videtur, addi praepositionem urbium et locorum (?) nominibus, ubi magis ad ipsum discessum et exitum, quam ad viam respicimus: velut *ab Athenis proficisci* est *von Athen abreisen.*" Sed ut paullo obscurius haec dicta sunt, ita re accuratius perpensa et explorata, alia minus recta sunt, alia plane falsa. Nam, ut ab iis ordiar quae in fine dicta sunt, si *ab Athenis proficisci* est *von Athen abreisen,* quid esse statuamus *Athenis proficisci?* Ego quidem discrimen non video, nisi quod supra statuit Cicero de praepositione *in* nominibus urbium apposita aut omissa. Atque inde etiam factum

---

1) Sic etiam apud Graecos Atticos scriptores nominibus urbium praepositiones *ἐν* et *εἰς* et *ἀπό* sive *ἐκ* semper fere appositas vides: antiquioribus temporibus contrarium fere valuisse iam ex uno Homero patet, neque repugnant huic observationi quae multis locis leguntur apud poetas Tragicos verba *eundi* et *veniendi* cum nudo accusativo urbium iuncta, et, quo ne pedestres quidem scriptores plane abstinuerunt, dativus urbis nudus, ubi *ἐν* cum dativo exspectamus, ut Platon. Menex. p. 245, A *τὰ τρόπαια τά τε Μαραθῶνι καὶ Σαλαμῖνι.* Thucyd. I, 74: *Μαραθῶνι — προκινδυνεῦσαι.* Pausan. I, 15, 3: *οἱ μαχησάμενοι Μαραθῶνι.* IX, 1, 2: *ὁ Μαραθῶνι ἀγών.*

2) Sic verbi causa, quod Zumptius praecipit aliique grammatici, *macte virtute* cum imperativo tantum compositum reperiri, minus accurate dictum arguitur loco Livii 2, 12: *iuberem macte virtute esse.* Sic inepta prope sunt, quae de usu perfecti cum coniunctione *postquam* coniuncti plerique narrant. Sic falsum est, quod observasse sibi visus est Hand. l. l., Livium semper fere dicere *ab Karthagine* pro simplici ablativo *Karthagine.* Cf. Liv. 29, 25. 23, 43. 30, 10. 30, 36. Verum esset, si dixisset Livium semper coniunxisse praepositionem cum huius urbis nomine, ubi constructum esset cum verbo quod est *proficisci*, nec ullum locum reperiri, ubi nomen urbis Romae praepositione careret.

videtur, ut, cum Livius, tribus locis exceptis, semper poneret *a*, ubi nomen urbis cum verbo *proficiscendi* coniunctum esset, Cicero in eadem loquendi formula rarius tantum hac praepositione uteretur, Caesar utrumque dicendi genus pariter probaret, Cornelius Nepos praepositione plane abstineret, Velleius Paterculus vel diceret *eadem profecti Graecia* 1, 4, nominibusque urbium, ubi cum verbis motum significantibus coniuncta sunt, uno loco (2, 110) excepto, praepositionem nunquam adderet: vid. 1, 4. 1, 6. 2, 30. — Perspicuitatis causa addidisse scriptores praepositionem cum iam per se verisimile non sit, tum exemplis facile potest contrarium probari. Sic Caes. bell. civ. 3, 102: *ipse ad ancoram una nocte constitit et, evocatis ad se Amphipoli hospitibus — venit*, si perspicuitatis rationem habendam censuisset, scripturus erat sine ulla dubitatione *ab Amphipoli*, praesertim cum in eadem loquendi formula praepositionem non vitaverit bell. civ. 3, 108: *exercitum a Pelusio clam Alexandriam evocavit.* Sic dixit bell. civ. 1, 34 *quem paucis ante diebus Corfinio captum ipse dimiserat*, sed 1, 25 *Domitianas cohortes protinus a Corfinio in Siciliam miserat.* Sic habes bell. civ. 1, 24 *Luceria proficiscitur Canusium*, contra 3, 23 *Libo, profectus ab Orico cum classe — Brundisium venit.* Idem orationis variandae studium apud Ciceronem ipsum vides, adeo ut causam satis idoneam vix reperias. Vid. Epp. ad Famm. 4, 12 *cum ab Athenis proficisci in animo haberem;* ad Att. 3, 8 *eum ab Epheso ante aliquanto profectum;* 7, 13 *Pompeius ab Teano Larinum versus profectus est;* 8, 14 *Caesarem a Corfinio post meridiem profectum esse — quo Canusio mane Pompeium.* Sed Epp. ad Att. 1, 15 *ut Brundisio profectus es;* 5, 11 *proficiscens Athenis dedi;* 11, 13 *Rhodoque Alexandream Cassium profectum esse;* ad Famm. 3, 8 *Tarso Amanum versus profecti sumus;* coll. 7, 11. 8, 17. 13, 10. ad Att. 2, 9. 3, 10. 4, 1. 5, 5. 10, 16. 16, 9 et centenis aliis locis. Sic dixit ad Famm 7, 19 *ut primum Velia navigare coepi*, sed 4, 12 *quum ab Epidauro Piraeeum navi advectus essem;* sic Famm. 4, 12 *ut ab Athenis in Boeotiam irem*; sed 3, 8 *Laodicea usque ad Iconium iter fecerim*, ad Att. 5, 15 *iter Laodicea faciebam;* sic ad Att. 13, 6 *epistolas missas a Corintho*; sed ad Att. 7, 25 *ad Cassium literis Capua missis.* Sic ad Att. 8, 16 *iam exspectabam aliquid a Brundisio;* sed 13, 17 *V. Kalend. exspectabam Roma aliquid.* Sic Epp. ad Att. 9, 13 *literis, quas Idd. Martt. a Brundisio dedit*, sed 6, 1 *literas — Brundisio datas*, et multis aliis locis. Et quod gravius est, idem ille Caesar perspicuitatis adeo incuriosus fuit, ut scriberet bell. civ. 1, 24 *reducitur ad eum deprehensus ex itinere Cn. Magius, Cremona*, quod dictum puta pro: *Cremonensis*, vel *ab Cremona*, vel *Cremona oriundus*, [3]) atque iterum 3, 71 *desideravit Tuticanum Gallum, senatoris filium, C. Felginatem Placentia, A. Granium Puteolis, M. Sacrativirum Capua.* Iam ex his exemplis allatis, quorum numerum facili opera augere possem, si opus videretur, clarebit, opinor, per-

3) Conferas Livii 1, 52 *cum omnes Latini ab Alba oriundi sint.* 26, 20 *oriundi et ipsi a Phocaea sunt*, et, cuius generis exempla infra multa excitabo, Liv. 6, 17 *simul colonis Circeiensibus et a Velitris*, coll. 6, 13 *Circeiensium quidam cogniti et coloni a Velitris.* 31, 22 *praedonum a Chalcide naves*, h. e. *praedonum Chalcidensium naves*, 1, 50 *Tullus Herdonius ab Aricia*, et, quod instar omnium est, 42, 56 *duae Punicae quinqueremes, duae ab Heraclea ex Ponto triremes, quatuor Chalcedone, totidem Samo, tum quinque Rhodiae.*

spicuitatis studium non effecisse, ut praepositio nominibus urbium adderetur. Eiusdem generis sunt quae de orationis numero confabulantur et de scriptoris nescio cuius negligentia. Regionem urbis, non urbem ipsam nonnunquam significari praepositione addita concedo, quamquam longe rarius id factum esse contenderim, quam vulgo credunt. Suum quisque in hac etiam re usum dicendi secutus est scriptor. Sic, ut per transcursum id tangam, Caesar, ubi motum ad urbem aliquam significare vult, tantum abest, ut praepositionem *ad* nomini urbis ubique addiderit, ut saepius fere omiserit. Vide bell. Gall. 5, 9 *inde profectus Gergoviam, Boiorum oppidum — oppugnare instituit.* 7, 36 *Caesar ex eo loco quintis castris Gergoviam pervenit — perspecto urbis situ — de expugnatione desperavit.* 7, 38 *quasi vero — non necesse sit nobis Gergoviam contendere.* 7, 57 *Caesar — cum IV legionibus Lutetiam proficiscitur.* bell. civ. 1, 12 *deducit Auximumque proficiscitur.* bell. Gall. 7, 68 *Alesiam iter facere coepit,* coll. 7, 58 *ad Lutetiam iter facere coepit.* bell. civ. 3, 39 *ad Asparagium Dyrrhachinorum pervenit.* Apud Livium praepositionem saepissime additam reperies in his loquendi formulis, additam vel tum, cum urbem intrasse qui iter fecerunt ex ipsa narratione patet. Exempla passim obvia sunt. Vide Liv. 35, 37. 44, 6. 45, 12 et Hand. ad Tursell. I, p. 79. [4]) — Regionem igitur, ex qua proficiscitur aliquis, praepositione *ab* addita urbis nominibus denotari posse concedo, ubi de exercitu sermo est qui urbem relinquit, concedo, ubi imperator cum exercitu profectus memoratur et quae sunt eiusmodi similia. Sed horum locorum apud Livium certe longe minor est numerus quam eorum, in quibus talis explicandi ratio non admittitur. Egregius locus est Livii 35, 37 *Euthymidas ab Athenis (eum domicilio delegerat locum) Thebas primum, hinc Salganea processit,* ubi Euthymidam ex urbe ipsa, non e regione urbi propinqua abiisse luce clarius est. Et 37, 45 *eo et P. Scipio ab Elaea, cum primum pati laborem viae potuit, venit.* Nec multum tribuendum videtur eiusmodi explicationibus et distinctionibus, quod ad usum scribendi, quem scriptor aliquis secutus sit, explicandum parum conferant. Hunc usum scribendi si quis vult illustrare paullo accuratius, necesse est, ut omnes locos in promtu habeat consimiles. Nam ita demum apertum fiet, quid maxime adamaverit scriptor aliquis, quid raro tantum scripserit, quid scribere plane vitaverit vel neglexerit. Et in hac re multum adhuc elaborandum est, quamquam id non vident qui veterum scripta delibare potius quam penitus cognoscere cupiunt! —

---

4) Num praepositioni *in* cum accusativo locus sit concedendus, in dubio relinquam. Apud Livium quidem leguntur haec 34, 52 *per Epirum in Oricum, unde erat traiecturus, venit,* et 40, 4 *navem — conscendunt —, tanquam redituri in Thessalonicam,* coll. 24, 40 *altero die Oricum pervenit.* 34, 50 *ducere Oricum iubet.* 45, 34 *ad mare Oricum descendit.* Quae habes 24, 30 *Marcellus cum omni exercitu profectus in Leontinos,* incerta sunt, cum et urbs et cives hoc nomine insigniantur. cf. 24, 30 *nec ut Leontinos irent, perpelli potuere* et ibidem *Leontinorum militumque aliorum nemo — violatus fuerat.* 24, 23 *pecuniam regiam, quae in Leontinis erat, Syracusas devectam.* 24, 29 *cum ex Leontinis legati — venerunt.* Alius generis iam sunt, quamquam a Grammaticis non satis accurate distincta, quae scripsit Liv. 42, 22 *in urbem Romam introeunt.* 2, 43 *fugaque in urbem Antium acti.* Cf. Hand. ad Tursell. III, p. 300. Perspicuitatis causa etiam in his non addidisse Livium praepositionem tum ex aliis locis, tum ex lib. 4, 11 patet, ubi, si praepositionem addidisset, sane haberemus, quomodo eam explicaremus.

Sed ut ad Livium propius accedamus, inter multa alia, quae propria eius sunt et a ceterorum scriptorum Latinorum aureae aetatis usu et ratione scribendi diversa, hoc maxime tenendum est, eum nominibus urbium, ubi cum verbis motum ab aliquo loco indicantibus ea coniunxit, aut raro aut nunquam fere praepositionem *a* detraxisse. Nam praeter eos locos, ubi codicum auctoritas ambigua est atque incerta, 26, 23. 29, 25. 30, 10. 37, 7., sedecim vel duodeviginti tantum loci reliqui sunt, in quibus praepositio posita non reperitur, neque hi ab omni suspicione liberi censendi sunt. Ac forte factum est, ut in primis decem libris nudus ablativus urbium cum verbis motum significantibus omnino non compareat. Nam quae leguntur 8, 5 *consulum alterum Roma, alterum ex Latio creari oportet*, ea huc non referam, praesertim cum plures codices genitivum *Romae* exhibeant. Qui in ceteris Livii libris superstitibus nudum ablativum exhibent loci hi sunt:

1) proficisci: 24, 12 *Hannibal — profectus Arpis, ad Tifata concedit*, et ibid. paullo infra: *postquam Hannibalem Arpis profectum — allatum est.* 33, 15 *Androsthenes, omnium ignarus, Corintho profectus ad Nemeam castra locat.*
2) venire: 30, 36 *legatique triginta Karthagine ad Scipionem venerunt.* 35, 10 *qui matrem Idaeam Pessinunte venientem in urbem acciperent.*
3) advehi: 23, 43 *eodem Hanno ex Bruttiis, cum supplemento Karthagine advecto, venit.*
4) nunciare: 26, 23 *et Anagnia et Fregellis nunciatum est, — portas de coelo tactas.* 43, 13 *Anagnia duo prodigia — sunt nunciata.* Huc non pertinent, quae leguntur 40, 2 *quod tripedem mulum Reate natum nunciatum erat, et a Formiis, aedem — tactam.* Ablativus enim qui est *Reate* aptius coniungitur cum verbo proxime apposito, ut 26, 23.
5) deducere: 34. 23 *Nabin praesidium Argis deducturum.* 34, 31 *non ut Argis praesidium deducerem.* Sed dixit etiam 32, 36 *ut regia praesidia Phocide ac Locride deducerentur.*
6) procedere, 45, 28 *quo cum Perseus obviam Amphipoli — processisset.* Ubi puto scribendum *ab Amphipoli.*
7) castra movere: 24, 30 *postero die Megaris castra movent.*
8) cedere, abscedere, excedere: 32, 35 *non Argis modo, sed etiam Corintho cessurum.* 34, 33 *Argis se cedere ac deducere praesidium.* 25, 25 *Syracusis excessisse.* 24, 3 *Crotone excessum est.* 36, 12 *Thyrio abscessit.* Haec verba frequentissime constructa reperiri cum nudo ablativo urbium et regionum iam monuit Weissenb. Gr. Lat. p. 273. cf. Liv. 32, 34 *decedi Graecia* et 30, 33 *decedentem ex Italia.* Sall. Iug. 23 *ubi eos Africa decessisse ratus est.*
9) excire: 29, 15 *ut principes Nepete, Sutrio — Romam excirent.*

His accedunt quae minus certa sunt nec codicum optimorum autoritate firmata: 29, 25 *priusque quam Karthagine subveniretur*, ubi in quinque codd. et omnibus edd. ante Gruterum scriptum est *ab Karthagine.* 30, 10 *Uticam Karthagine petens*, ubi duodecim codd. et edd. ante Frobenium habent *a* sive *ab Karthagine.* Neque ab omnibus partibus firmus est quem supra attuli locus 26, 23 *et Anagnia et Fregellis nunciatum est — portas de coelo tactas.* Hic enim et in edd. ante Gronovium et pluribus codd. scriptum legitur *Anagniae*, cui lectioni subsidio venit

Liv. 28, 11 *et Albae duo soles visos referebant.* Minus etiam recte codd. nonnulli praepositionem ignorant 37, 7 *et consul ab Amphissa Thessaliam repetit,* et 30, 43 *ita dimissi ab Roma Karthaginienses.* Cf. Drakenb. ad Liv. 31, 26. Ac singulare est quod legitur l. 42, 56 *ad idem fere tempus — naves Chalcidem convenerunt: duae Punicae quinqueremes, duae ab Heraclea ex Ponto triremes, quatuor Chalcedone, totidem Samo, tum quinque Rhodiae quadriremes.* Nec tamen necesse videtur, ut ablativos referamus ad praecedens verbum conveniendi; positi enim esse possunt eadem ratione, quam supra tetigimus p. 3, ubi duo Caesaris de bell. civili loci tractati sunt.

Reliquum nunc est, ut eos Livii locos percenseamus, in quibus verba motum significantia cum ablativo nominum urbium addita praepositione *a* constructa sunt. Quorum numerus tantus est, ut quae apud ceteros scriptores omnes reperiuntur similia, comparari cum eo plane non possint. Sic in Caesaris libris de bello Gallico nullus locus comparet, qui huc trahi possit, in libris de bello civili sex, ni fallor, exstant loci, qui in censum vocentur. Ex Sallustii libris de bello Catil. et Jugurthino duo loci huc pertinent, nullus ex Cornelii vitis illustrium virorum. Apud Ciceronem quantus numerus sit eorum locorum, qui huc referri possint, hodie nescio. Ex epistolis viginti sex circiter locos enotavi, in quibus verba veniendi, proficiscendi, recedendi, mittendi, fugiendi etc. cum ablativo nominis urbis addita praepositione *a* constructa sunt. Livius autem plus trecenta huius constructionis exempla exhibet. Quae iam ordine suo perlustremus singula.

I. Primum locum teneant verba quae sunt: *proficisci, procedere, progredi, egredi, elabi, erumpere, exire.*

1) proficisci: Liv. 2, 33 *Volscae legiones, profectae ab Antio.* 3, 23 *et ipse a Roma profectus.* 9, 25 *consules ab Sora profecti.* 23, 17 *profecti a Casilino.* 25, 27 *profectus a Karthagine.* 28, 17 *ab Karthagine profectus.* 30, 36 *profectus ab Utica — portum petit.* 34, 8 *a Luna proficiscens — edixit.* 35, 43 *iam profectus ab Demetriade rex — processerat.* 36, 42 *a Piraeeo* [5] *est profectus.* 37, 4 *profectus ab Elatia.* Eiusdem constructionis exempla iam allatis adde haec: 5, 34. 6, 27. 7, 34. 21, 15. 24, 46. 47. 26, 9. 20. 39. 41. 27, 7. 31. 32. 28, 7. 29, 4. 6. 31, 21. 32, 40. 33, 3. 38. 34, 9. 35, 2. 37. 36, 11. 12. 14. 21. 42. 37, 13. 26. 28. 60. 38, 10. 12. 39, 32. 40, 33. 56. 41, 1. 42, 1. 48. 44, 1. 10 ter. 28. 29. 46 bis. [6] Eandem structuram sequitur substantivum quod est *profectio*: vide Liv. 2, 14. 33, 4. 37, 25.

2) procedere: Liv. 35, 15 *Villius ab Epheso Apameam processit.* 35, 37 *Euthymidas ab Athenis — Thebas — processit.* Cf. 31, 40.

---

5) Cave hoc loco locutum putes Livium ut de loco. Pro urbe Piraeeum habuisse eum patet ex lib. 31, 22 *quum Piraeeum pervenissent.* 31, 26 *Piraeeum pergit.* 36, 42 *Piraeeum pervenit.* 31, 30 *Eleusine Cereris templum, Piraeei Jovem.* 32, 16 *quae Piraeei fuerant,* coll. Drakenb. ad Liv. 31, 26. Contra Cicero semper, ni fallor, huic nomini praepositionem adiunxit, ut Epp. ad Attic. VI, 9 *in Piraeea quum exirem.* VII, 1 *in Piraeeum egressus.* V, 12 *a Piraeeo — venimus.*

6) Eundem morem dicendi semper secutus est Hirtius de bell. Afr. c. 23, 87. et auctor bell. Hisp. 37. Caesar semel usus est praepositione *a* de bell. civ. 3, 23; semel nudo ablativo de bell. civ. 1, 24. Cf. Cornelius Nepos in Milt. 1, 4 *adversum tenet Athenis proficiscentibus.*

3) progredi: 33, 3 *ab Heraclea Xynias progressus.* [7])
4) egredi: 27, 16 *priusquam egrederetur ab Tarento.* 27, 17 *ab Tarracone egressus.* 10, 44 *Samnitibus ab Aquilonia clam egressis.* [8])
5) elabi; 28, 8 *sic ab Opunte Attalum — elapsum.*
6) erumpere: 43, 23 *cum erupissent ab Apamea armati.*
7) exire: 6, 31 *ne interim exercitus ab Roma exiret.* 21, 13 *si — velitis ab Sagunto exire.* 23, 18 *velut si — a Capua exiret.* 25, 22 *ut exirent ab Capua.* 44, 43 *a Pella exierat.*

II. Secundo loco ponantur verba quae sunt *movere et castra movere, submovere, pergere, solvere, navigare, ire, iter facere, petere, contendere, fugere, abscedere, demigrare.*

1) movere et castra movere: 27, 22 *Calpurnius vetitus ab Arretio movere, exercitum.* 28, 32 *priusquam castra ab Karthagine moveret.* 29, 35 *motis ab Karthagine castris.* 33, 6 *Romanum ab Thebis Pheras movisse.* Cf. 23, 16. 26, 7. 37, 22. 42, 53. 44, 13. 34. Locum Livii 31, 39 *movere itaque ex Pluvina Romani*, corruptum, ut videtur, ita sanatum voluit Sigonius, ut scriberet *ex Pellina.* Scribendum certe erat *a Pellina.*
2) submovere: 6, 36 *non ab Tusculo modo submovere.*
3) pergere: 10, 33 *ad exercitum profectus, ab Sora in Samnium perrexit.*
4) solvere: 31, 14 *altero die, quam a Brundisio solvit.* 45, 41 *classem a Brundisio sole orto solvi.* Cf. 30, 7.
5) navigare: 28, 8 *ab Cenchreis — navigans.* Ibid. *ab Chalcide Oreum navigat.* 31, 45 *navigant a Piraeeo Andrum.*
6) ire: 28, 17 *quo pedibus ab Tarracone — ierat.* 33, 29 *prius — quam ab Elatia duo diversa agmina iere.*
7) iter facere: 40, 24 *ab Thessalonica Demetriadem ipsi cum iter esset.* [9])
8) petere: 6, 32 *ab Satrico petunt Antium.* 36, 21 *a Creusa Patras petit.* Cf. 23, 14. 37, 9. 34.
9) contendere: 24, 13 *die uno Suessulam a Calibus — contenderat.* 27, 41 *eodem a Venusia consul — contendit.*
10) fugere: 5, 19 *qui a Veiis in illo pavore fugerant.* [10])
11) demigrare: 44, 6 *ab Dio — demigrare Pydnam cogit.*
12) abscedere: 26, 1 *ne a Capua — abscederent.* 44, 13 *a Meliboea abscessum est.* Ibid. *ab Demetriade abscessum est.* Cf. 26, 3. 8. Vide tamen quae infra dicta sunt de verbis *recedendi* et *discedendi* p. 9.

---

7) Cf. Caes. de b. c. 1, 15. *Auximo Caesar progressus.* Hirt. b. Afr. 89 *a Thapso progressus.*

8) Nudum ablativum cum hoc verbo coniunctum vide ap. Hirt. b. Afr. 79. 88. 89. 92. 97 et apud Sallust. Jug. 35.

9) Contra Cicero Epp. ad Attic. 5, 15 *iter Laodicea faciebam*; ad Famm. 3, 8 *quum ego Laodicea usque ad Iconuium iter fecerim.*

10) Apud Caesarem verbum *fugiendi* et composita semper vides cum nudo ablativo coniuncta. cf. bell. civ. 1, 15 *in iis Camerino fugientem.* 1, 24 *Manlius praetor Alba profugit.* 3, 12 *profugit Apollonia Staberius.* Cf. Vellei. 2, 30 *Capua profugientes.* Cicero quidem dixit in epp. ad Famm. 11, 12 *fugisse a Mutina videtur*, et suo iure, opinor, ita dixit.

III. Haec excipiant verba quae sunt *transire, traiicere, transmittere, transfugere, traducere, portare, transportare, transferre, transvehere.*

1) transire: 35, 24 *a Brundisio cum omnibus copiis transire in Epirum est iussus.*
2) traiicere: 21, 19 *legati Romani ab Karthagine in Hispaniam — traiecerunt.* 27, 32 *quindecim navibus ab Naupacto — traiecisse.* 37, 14 *traiicienti a Chio Samum.* Quibus locis adde 26, 19. 28, 5. 8. 31, 45. 32, 9. 40. 33, 31. 41, 23. 42, 6. 16.
3) transmittere: 32, 9 *a Brundisio cum transmisisset.* 38, 16 *Leonorius — a Byzantio transmisit.*
4) transfugere: 2, 16 *ab Regillo — Romam transfugit.*
5) traducere: 28, 5 *eodemque ab Larissa Macedonum copias traduci iussit.* 31, 21 *iam exercitus ab Arretio Ariminum traductus erat.* 32, 2 *ut ab Norba — alio traducerentur.* 27, 12 *ab Agathyrna ex Sicilia traducta.* Cf. 30, 45.
6) portare: 22, 11 *commeatum ab Ostia in Hispaniam portantes.*
7) transportare: 24, 8 *ne supplementum — ab Karthagine Hannibali transportaretur.* 34, 52 *ab Orico copiae omnes Brundisium transportatae.* [11])
8) transferre: 3, 42 *castra alia a Fidenis in Sabinum agrum transferri.*
9) transvehere: 5, 52 *Juno Regina, transvecta a Veiis.* 26, 40 *ab Agathyrna inconditam multitudinem — in Italiam transvexit.*

IV. Sequantur verba quae sunt *ducere, abducere, deducere, adducere, inducere, perducere, inferre, egerere, vehere, advehere, convehere, admovere, accedere.*

1) ducere; 2, 39 *postremo ad urbem a Pedo ducit.* 6, 27 *ab Antio Satricum, ab Satrico Velitras, inde Tusculum legiones ductas.* 23, 48 *a Cumis Luceriam in Apuliam legiones cum duxisset.* 25, 15 *a Benevento in Campanum agrum legiones ducunt.* Adde 25, 22. 27, 26. 29, 6. 31, 26. 34, 25. 38, 15. 44, 8. 30.
2) abducere: 5, 4 *quod abducere infecta re a Veiis exercitum noluerunt.* 29, 8 *militum pars, quam ipse ab Rhegio abduxerat.* Cf. 37, 17. 39, 42. 42, 17.
3) deducere: 32, 33 *postulabantque praesidia deduci ab Iasso.* 34, 51 *deductis non a Chalcide modo, sed etiam ab Oreo atque Eretria praesidiis.* 34, 35 *ut ab Argis — praesidia omnia deducerentur.* 37, 31 *praesidium ab Lysimachia — deduci — iussit.* [12])
4) adducere: 9, 33 *Fabius supplementum ab Roma adduxit.* 38, 9 *adduci eos a Thyrio iussit.*
5) inducere: 8, 19 *a Priverno — in agrum Fundanum exercitum inducit.*

---

11) Verba *portandi, transportandi* et alia similia praepositionem non flagitare patet ex Caes. de b. civ. 3, 40 *qui commeatus Bullide atque Amantia importari in oppidum prohibebat.* cf. 3, 42 *item Lisso — quod esset frumenti conquiri iussit.* 3, 58 *Corcyra — pabulum supportare.* 3, 100 *navibus Corcyra Dyrrhachioque suis aquam supportabat.*

12) Cum nudo ablativo urbis hoc verbum constructum vidimus apud Livium ipsum supra p. 5. Eiusdemque constructionis testis est Caesar de bell. civ. 3, 34 *deducta Orico legione.*

6) perducere: 39, 42 *Philippum Poenum — ab Roma in Galliam — perductum.* Huc non traxerim quae leguntur 39, 2 *viam a Bononia perducit Arretium;* et ibid. *viamque ab Placentia Ariminum perduxit.*
7) inferre: 34, 4 *infesta, mihi credite, signa ab Syracusis illata sunt huic urbi.*
8) egerere: 5, 22 *cum iam humanae opes egestae a Veiis essent.*
9) vehere: 9, 14 *ut — ab Arpis frumentum veheret.* 35, 26 *cum ab Naupacto Corinthum veheret.*
10) advehere: 29, 10 *si mater Idaea a Pessinunte Romam advecta foret.*
11) convehere: 25, 20 *frumentum, quod ex Sardinia nuper missum erat, — ab Ostia convectum est.* Cf. 23, 46.
12) admovere: 24, 12 *ab Luceria Beneventum copias admovere.*
13) accedere: 29, 7 *classis Romana a Messana Locros accessit.* 24, 14 *Gracchus ab Luceria accessit.* 31, 24 *ab Dipylo accessit.* [13])

V. His accedant verba *redeundi, revertendi, recedendi, regrediendi, repetendi, reducendi.*

1) redire: 5, 16 *priusquam a Delphis oratores redirent.* 10, 36 *in victorem incidunt consulem, ab Luceria redeuntem.* 21, 59 *iam enim redierat ab Roma.* 21, 16 *legati, qui redierant a Karthagine.* 23, 11 *Q. Fab. Pictor legatus a Delphis Romam rediit.* 26, 16 *Capuam a Calibus reditum est.* 24, 35 *ab Agrigento — rediens.* 25, 14 *ab Cominio — rediit.* Quibus locis adde 27, 17. 30, 37, ubi codices aliquot *ab Romanis* pro vulgato *ab Roma.* 31, 45. 35, 38. 38, 2. 40, 12. 42, 40. Sallustius bell. Jug. 10. dixit *rediens Numantia,* omissa praepositione, ut Cic. Epp. ad Att. 5, 19. 7, 17. ad Famm. 3, 10.
2) reverti: 30, 25 *nondum reverterant ab Roma legati.* 35, 25 *non antea quam ab Roma revertissent legati.* Cf. 9, 6.
3) recedere: 24, 20 *a Casilino recessum est.* 36, 10 *ab Larissa recessit.* 36, 26 *recessum ab Larissa est.* Sed in his nescio an non possit nec debeat omitti praepositio, cum non de urbe ipsa, unde recedat aliquis, sermo est, sed de regione urbi vicina. Frustra enim obsidentes dicuntur *ab urbe recedere* et *discedere,* quo altero verbo semper usus est Caesar, ut de bell. Gall. 7, 40. 59. de bello civ. 3, 24., et Hirt. bell. Afr. 91 et Sall. bell. Jug. 61. Cf. Hand. ad Tursell. I, p. 11. Quamquam *abscedere* eadem significatione cum nudo ablativo constructum vidimus apud Livium 36, 12. [14])

---

13) Hos locos minus recte in suum usum convertit Hand. ad Tursell. I, p. 13, ut demonstraret, praepositionem *a* de loco dici, unde aliquis motus dirigatur (*von wo aus, von wo her*). Hunc usum praepositionis aptius illustrent quae leguntur apud Livium *l.* 24, 13 *si conspecta a Tarento sint.* 30, 9 *ab Karthagine conspici.* 23, 41 *Marcellus ab Nola — crebras excursiones fecit.* 8, 17 *excensionem a Paesto — facientem.* 42, 15 *adscendentibus ad templum a Cirrha.* 35, 46 *qui ab Demetriade secuti erant.* cf. 31, 26. Sed in his etiam scriptoris cuiusque usum dicendi multum valere apparet ex Ciceronis tum aliis tum his Epp. ad Divv. III, 10 *cum te Puteolis prosequerer,* ubi exspectamus sane additam praepositionem, coll. Liv. 42, 39 *et ab Larissa multis prosequentibus.*

14) *Discedere* ubi *abeundi* significationem habet, cum nudo ablativo constructum habes apud Cic. Epp. ad Att. 7, 21. 24. 11, 25. ad Divv. 1, 9. 6, 4.

4) regredi: 28, 12 *regressus ab Gadibus — equites armavit.* 42, 50 *postquam legati ab Roma regressi praeciderant spem pacis*, ubi cave coniungas *legati ab Roma!*

5) repetere: 37, 7 *et consul ab Amphissa Thessaliam repetit.* Hoc loco codices aliquot peioris notae praepositionem ignorant. Minus recte, opinor: cf. 31, 45 *et ab Sciatho Euboeam repetunt.* [15])

6) reducere: 6, 38 *prius — quam a Velitris reducerentur legiones*, in quibus si dixeris praepositionem recte appositam esse, quod Livius loquatur de militibus urbem obsidentibus, quid facies de loco eiusdem Livii 34, 45 *reducti cives ab Lacedaemone erant, quos nuper Pythagoras, quosque ante Nabis adduxerant*, ubi *reducti erant* pro *redierant*, quod statim sequitur, positum esse nemo est quin videat? Cf. etiam 34, 41 fin. *Quinctius ab Argis Elatiam — copias reduxit* (h. e. *ex urbe Argis*).

VI. Jam venimus ad verba *mittendi, dimittendi, remittendi, pellendi, repellendi, arcessendi, acciendi, exciendi et revocandi.*

1) mittere: 2, 53 *missus tamen ab Roma consul in Volscos*, ubi cod. Leid. 2 *a Romanis*, male. 25, 23 *Damippus missus ab Syracusis ad Philippum regem.* 26, 16 *praefectum — ab Roma quotannis missuros.* 29, 5 *naves, quae ab Karthagine ad Magonem missae erant.* 29, 7 *a Messana — naves misit.* Quibus locis adde: 23, 34. 48. 25, 11. 28, 30. 30, 42. *missi — a Roma legati*, coll. 27, 36. 31, 43. 32, 16 bis. 33, 38. 35, 27., qui locus etiam aliter potest explicari. 36, 31. 38, 37. 41, 22. 43, 9. 44, 12. 16. [16]) Cf. 35, 35 *missos ab domo.*

2) dimittere: 30, 43 *ita dimissi ab Roma Karthaginienses.* Hic vetus liber Sigonii habet *dimissi Roma*, haud male, quamquam ab Livii more scribendi alienum; cf. Caes. de bell. civ. 1, 34 *quem — Corfinio captum ipse dimiserat.*

3) remittere: 23, 46 *ab Nola remisso in Bruttios Hannone:* ubi si quis dicat Livium suo iure usum esse praepositione, quod Hanno ante urbem commoratus dicatur, non habeo quod respondeam, velim tamen conferat Caes. de bell. civ. 1, 27 *naves a consulibus Dyrrhachio remissae.*

4) pellere: 23, 45 *fugatis ante paucos dies a Cumis, pulsis priore anno a Nola ab eodem duce.*

---

15) *Recurrendi* verbo, quod apud Livium non reperi cum nomine urbis coniunctum, nudum ablativum adiunxit Auct. bell. Hisp 40 *Caesar Gadibus rursus ad Hispalim recurrit.* Sed conferas quod simile est apud eundem c. 42 *cum a Gadibus ad Hispalim se recepisset*, et Caesar de bell. civ. 2, 28 *quas superioribus temporibus Corfinio receperat.*

16) Hoc verbum ad ea videtur pertinere, quae aegre careant praepositione, ubi de hominibus ab aliquo loco missis sermo est. Sic Caesar de bell. civ. 1, 1 *ab Arimino M. Antonium — mittit.* 1, 25 *a Corfinio in Siciliam miserat.* Auct. bell. Hisp. c. 12 *qui a Corduba — missi erant.* De rebus, ut de literis ab aliquo loco missis ubi sermo est, Cicero quidem nudum ablativum urbis semper fere adiunxit verbo *mittendi*, ut Epp. ad Attic. 1, 17. 7, 25. 13, 27. 47. ad Famm. 3, 11. 7, 19. Praepositionem additam reperi uno loco Epp. ad Att. 13, 6. Vide etiam quae infra dicenda sunt de verbis *dandi, accipiendi* et *afferendi.*

5) r e p e l l e r e: 26, 8 *eum a Capua repulsum.* 32, 13 *a Metropoli — repulsi sunt.* De hoc loco et proxime praecedentibus vide quae diximus ad V. 3.
6) a r c e s s e r e: 2, 14 *arcessita deinde auxilia — a Cumis.* 10, 47 *Aesculapium ab Epidauro Romam arcessendum.* 26, 33 *an arcessendus a Capua Q. Fulvius esset.* 29, 23 *virginem a Karthagine arcessit.* 35, 15 *ut a Pergamo arcesserentur legati.* 38, 12 *Attalum — arcessit a Pergamo.* cf. 27, 43. 28, 41. 34, 25. 38. 37, 11. [17])
7) a c c i r e: 1, 27 *exercituque eius ab Alba accito.* 4, 31 *accito exercitu ab Veiis.* 24, 19 *se proconsulem a Benevento acciturum.* 37, 19 *Eumene a Pergamo accito.* cf. 22, 3. 23, 17. 38, 29. 45, 28. [18]) cf. 9, 22 *accitis ab domo.* 9, 33 *domo accitus.*
8) e x c i r e: 7, 39 *quem autem ab Roma posse exciri.* 38, 3 *ab Rhodo et Athenis legationibus excitis.* Et sic etiam Velleius 2, 61 *primum a Calatia, mox a Casilino veteranos excivit.*
9) r e v o c a r e: 6, 4 *revocati quoque in urbem senatusconsulto a Veiis.* 31, 45 *postea et ab Delio — revocati.* [19])

VII. His adde verba quae sunt *venire, advenire, pervenire, supervenire, occurrere.*

1) v e n i r e: 8, 12 *venerant et ab Lanuvio Antioque auxilia.* 8, 25 *et a Tusculo et a Samnitibus auxilia ventura.* 22, 24 *praesidii cum Q. Fabio a Roma venientis* 31, 25 *et classem a Piraeeo subsidio venire.* 34, 3 *matrem Idaeam a Pessinunte ex Phrygia venientem.* 34, 26 *ab Leucade — quadraginta navibus venerat.* 35, 22 *Domitius ab Arimino venit.* 35, 39 *Quinctius — ab Corintho veniens occurrit.* 37, 45 *Scipio ab Elaea venit.* 38, 39 *dum Piraeeum ab Epheso naves venirent.* 44, 23 *qui nuper ab Rhodo venerat.* cf. 31, 26. 37, 14. 44, 2. [20])

Sed venimus iam ad quaestionem paullo difficiliorem. Exstant apud Livium sat multi loci, ubi verbum *veniendi* cum ablativo urbis constructum videtur, sed ita tamen ut hoc nomen non tam ad verbum sequens (verbum enim semper in hac dicendi formula postpositum est), quam ad nomen proxime praecedens referendum sit. Est enim hoc proprium fere Livii, ut ablativum urbis cum praepositione *a*, Graeco ut videtur more, nominibus adiungat, quibus significantur qui ex urbe aliqua orti sunt vel profecti vel missi: quem usum dicendi tetigit quoque Hand. ad Tursellin. I, p. 18. 19. Praeter locos

---

17) Contra Hirt. bell. Afr. 1 *Rhodo atque ex Syria — classem arcessit.* Cornel. v. Dion. 3, 1 *ut Platonem Athenis arcesseret.* Timol. 3, 1 *deinde Corintho arcessivit colonos.*

18) Conf. Tac. Ann. 2, 54 *Mileto accitus sacerdos.*

19) Conferas Caes. de bell. civ. 3, 102 *vocatis ad se Amphipoli hospitibus*, et 3, 108 *exercitum a Pelusio — evocavit*, et Hirt. b. Al. 1 *Creta sagittarios evocat.* Huc referri etiam potest quod legitur apud Caes. de bell. civ. 1, 15 *Domitius — viginti cohortes Alba — coegerat.*

